Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 679

Quelle:
Copyright:

Sequitur Prooemium elegiacum ad *Carolum*, non *Magnum*, ut in Praefationis *Anaſtaſii Biblioth.* margine in edit. *Colon.* p. 5. notatur, ſed jam dictum *Calvum*, quod incipit:

Hanc libam ſacro grecorum nectare fartam
Aduena iohannes ſpondo (ſpendo, σπενδω) *meo Karolo* &c.

Diſticha ſunt XII. et extant in magni *Jac. Uſſerii Veter. Epiſtolar. Hibernic. Sylloge, Dublini* 1632. *Epiſt.* 22. p. 57. uti in edit. *Argent. cit.* ſed ibi perperam adjuncta ſunt alia, quae paullo inferius locanda ſunt, ut apparebit. Priora illa nobis et *Uſſerio* exacte conveniunt, ſed in edit. *Argent. ſtemmata* pro *fortia*, *techas* pro *termas*, et *Uſibus* pro *Verſibus* reponendum eſt. Sequitur in noſtro Codice: *Glorioſiſſimo catholicorum Regum Karolo Johannes extremus Sophię ſtudentium ſalutem.* Deeſt haec Dicatio in edit. *Colon.* ſed adeſt in *Argent.* et apud *Uſſerium Epiſt.* 23. aſſignato in margine ſcriptionis anno 858. quem unde norit Vir doctiſſimus, neſcio. Initium habet: *Valde quidem ammiranda dignisque uirtutum laudibus eſt exaggeranda catholicorum uirorum religioſiſſima ſollicitudo* &c. Finem: *per excellentiam eſſentię recurrere.* Inſcriptio Librorum miniata haec eſt: *Incipiunt libri ſancti Dioniſii ariopagitę. Quos iohannes ierugena tranſtulit de greco in latinum iubente ac poſtulante rege Karolo Ludwici* (Pii) *imperatoris filio. Incipiunt capitula libri primi.* Poſt eorum elenchum: *Liber ſancti dioniſii ariopagitę epiſcopi athenarum. ad timotheum epiſcopum epheſiorum. Epigramma in beatum dioniſium de cęleſti ierarchia.* Hujus tenoris: *Angelicę ſapientię fulgores multos proieciſti hominibus. manifeſtaſti uidere animo compoſitam pulcritudinem.* Tum ſuccedunt XII. illa in edit. *Argent.* praecepta Diſticha: *Compresbitero timotheo dioniſius presbiter de celeſti ierarchia.*

Lumine ſydereo Dioniſius auxit athenas.
Ariopagites. magnificusque ſophos. &c.

quae *Uſſerius* paene legit, ut nos, ſed a *penultimo* Hexametro, qui totus graecus eſt, ob Exempli ſui corruptionem abſtinere debuit. Eſt ille et in noſtro codice literis latinis mire deformatus, ſed, ſi quid extundo, fortaſſe ſic reſtituendus:

Αęχων Αęχαγελων τευχων Αγελων τ' ἐτελ' ἀυτων.

Poſt